

CUM DEO! 38.  
COLLEGII INSTITUT.

PUBLICI  
DISPUTATIO DECIMASEXTA  
Ethico-Politico-Juridica

De  
**CONTRACTIBUS  
CONSENSUALIBUS: QUASI  
CONTRACTIBUS, ET MODIS TOL-  
LENDARUM OBLIGATIONUM,**

Ad Tit. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. & 30. Lib. III.

EXHIBENS TEXTUS

Continuationem, Quæstiones,  
Antinomias & Axiomata,

Quam.

SUB PRÆSIDIO

**CHRISTIANI TAUBMANNI J. U. D.**

Prof. Publ. Curiæ Elect. & Facult. Jurid. Adfessoris,

*Discutiendam proponit*

**DAVID GERLACH** Wickerstadensis Thuringus,


Ad diem <sup>14 MAY</sup> ~~22 JUNII~~ in Auditorio JCtorum  
horis antemerid.

---

WITTEBERGÆ

Ex Officinâ Typograph. MICHAELIS Wendt.  
ANNO M DC XLII.





701

TIT. XXIII.  
DE OBLIGATIONIBUS  
ex consensu.

D Enique consensu obligationes fiunt in Emptione venditione:  
Locatione conductione: Societate: & Mandato.

TIT. XXIV.  
DE EMPTIONE  
& Venditione.

MEMBRUM I.

Continens Textus Continuationem.

I. Emptio venditio est contractus juris gentium consenseruit, de re pro certo pretio alteri tradenda. Cujus REQUISITA sunt I. Consensus, princ. Qui vel scriptus, vel non ib. vel purus aut conditionalis. §. 4. II. Pretii certitudo pr. & §. 1. & quidem III. in numeraria pecunia. §. 2. IV. Res commercio non exempta. §. fin. EFFECTUS ejus est. I. Ut commodum & incommodum rei venditae statim ad emptorem spectet; nisi culpa vel dolus venditoris intercesserit: II. Ut emptor teneatur ad numerandum pretium, venditor ad mercem tradendam §. 3.

MEMBRUM II.  
Continens Questiones.

I. Num vendor præcisè rem tradere teneatur, nec liberetur præstanto id quod interest? Aff. cum Först. d. 18. tb. 3. Hanon. d. 16. tb. 12. Harpr. hic p. 734. n. 33. Contra Gödd. Hunn. & Bach. ad Treutl. v. 1. a. 18. tb. 2. c.

II. An Emptio venditio uno nummo fieri possit? Nég. cum Hanon. tb. 14. Harpr. p. 741. n. 46. Arum. Ex. 14. tb. 1. Contra Contium.

III. An quis invitus cogi possit ad rei suæ venditionem? Neg.

*E*ne quidem à Principe. Hanon. lib 5. Harpr. p. 749. n. 109. Bronch.  
cen. 2. aff. 63. Contra Angel. & Fabian. de Monte.

I V. Num in pretio emptionis liceat contrahentibus natura-  
liter invicem se circumscribere? Aff. cum Harpr. p. 758. n. 18.  
Emntsk. Ex. u. q. 3.

### MEMBRUM III. Continens Antinomias.

I. Lis Fachinæum, Treutl. alios in pr. vers. donec & l. 17. C. de  
fide instrum. divexat: Num ab Emptione perfecta arrbarum dispen-  
dio recedere liceat? Nos ipsos, quod manum admoverint quæstio-  
ni non nauci? Rem dijudica, & quæstionem planam dabunt A-  
rum. Ex. 14. lib 9. & adff. d. 13. q. 3. Hanon. d. 16. lib. 5. Ungeb. Ex. 12.  
q. 2. Bach. ad Treutl. v. 1. d. 28. lib. 8. b. p. 1079.

II. Colligantur quoque suffragia de mente & sententia. §. 3.  
lib. & l. 33. ff. locatil. 12. ff. de peric. & commod. rei vend. l. 39. ff. de  
solut. &c. Et fiat SCtum: Perfecta emptione & vend. periculum  
rei vendita statim ad empriorem pertineat, licet ei res nondum tradita  
sit. Otiosi in contrasentientium scopolis consensercent. Nos ve-  
la complicemus, & utilius aremus æquor; cum Harpr. p. 767. n. 1.  
Arum. Ex. 14. lib. 3. Först. d. 18. lib. 5. Gerb. dec. 44. q. 7. Quid enim  
operosè perseguamur opinionem & Cto indignam ex placito magni  
Bachov. ad Tr. v. 1. d. 28. lib. 8. c. p. 1081. quem rectâ sequamur, non  
per post. cum cum Ulyse aut Sinone.

### MEMBRUM IV. Continens Axiomata & Digressiones.

I. Arrha perfectum negotium arguit. princ. l. 35. pr. ff.  
de contr. empt. Est enim arrha prærogativa pretii suo tempore per-  
solvendi. Horcom. h̄c. Arrabo pecunia est, sic dicta, inquit Var-  
ro, ut reliquum reddatur; à Græco ἀπάλων pfandt schilling/ haffe  
pfenning. Agell. l. 27. 2. Quod D. Lüberus in Gen. c. 38. v. 17. ab  
Hebræis, qui Erabon pignus dicunt, haud dubiè ortum putat. Hinc  
arrabo, à quo est, Subarrbo, quod est arrham facio. Ambrosius: *An-*  
*nulo*

lib 5. de LL.

nulo suo subarrb. vit me Dominus meus. Et Paulus : Hunc arrhabo.  
nem amoris primū à me accipe. & ib. Taubm. Unde in sponsali-  
bus plerumq; sponsus dare consuevit arrham sponsæ. l. 38. pr. de  
ritu nupi. quæ tamen sponsalia non facit, sed vere contracta probat  
saltem præsumtivè. Carpz. Jurispr. for. p. 4. c 20 def. 8. n. 3. Quia  
tantum evidenter probationis causa interponitur, non ad substam-  
siam obligationis. l. 35. pr. de contr. empt. Don. En. l. 13. c. 1. y. 2.

Mil. glor. a.  
4. sc. l. v. II.

702

II. Paria sunt aliquid non facere, & imperfectè fa-  
cere. ib. princ.

III. Utrum aliquis scribat, an alterius scripturæ  
subscribat, nihil interest. ib. vers. à contabentibus subscripta.  
Hippias, ut est apud Xenophonem, venit Athenas ad audiendum  
Socratem, & interrogavit eum, quid docere? Respondit Socrates  
τὰ ἀντὶ τῶν τῶν αὐτῶν: Eadem de iisdem. Tu autem, quia ex-  
cellis ingenio, fortassis semper novi aliquid dicis. Multi sunt tales Hip-  
piæ, qui non volunt eadem eodem modo dicere, aut alterius senten-  
cia subscribere. Natura enim hominum, inquit Thucidides, est αὐθί-  
κος οὐχὶ φιλόνομος, fastidit presentia & appetit nova. Et hæc  
est pestis, ex sententia Dn. Melanchtonis dom. 6. post Trinit. p. 308.  
ac pernities Ecclesiæ, quod vulgus etiam in doctrinâ, quæ est Eccle-  
siæ propria, amat novitatem, sicut rectè judicavit D. Hieron. Schurf-  
fius 3 Cius; qui, ut erat vir sapiens, dicere solitus: Existimare se  
illam fuisse causam, aut certè occasionem, quare doctrina Ecclesia pri-  
mum corrupta sit; quod docentes habuerint studium nova docendi,  
& populus similiter fastidiens consueta, voluerit audire aliquid novi.  
Hoc studium novitatis semper invexit errores in Ecclesiam; ideo, ut  
exemplo nostro moneamus in principalibus materiis eadem for-  
matum doctrinæ & explicationis retinendam esse, dicimus eadem  
per eadem, & Deo dante, dicemus eadem, in omni æternitate.  
Nam quæ verum sunt, perpetuò sunt eadem. Atque utinam possemus  
eadem, quæ vera & utilia sunt, non tantum iisdem verbis, sed et-  
iam iisdem Syllabis & litteris efferre? Non possumus enim melio-  
rem habere Doctorem, quam Filium Dei æterni Patris, qui est optimus  
orator. Hucusque Melancht. Sic in Jure nostro subscribens habe-  
tur perinde, ac si ipse totam confecisset scripturam. Carpz. Jur.

Q.

A 3 for.



for. p. 2. c. 26. d. 9. n. 8. § 9. Testi autem subscriptio & subsignatio in Instrumento facta nihil præjudicat: Etiamsi illa clausula, doch mir vnd meinen Erben vnschädlichen non adjiciatur. Coler. de process. exec. p. 3. c. 1. n. 139. Quia actus quicunque ultimam intentiōnem agentis non operantur. Möller. ad Const. El. p. 2. c. 52. n. 17. An autem *Charta blanca*, sive *scedula scripturā vacans*, vulgo *Blanquet*, si fuerit à quodam subscripta & sigillo roborata, subscribentem obliget? Et *anscriptor legatum*, sibimetipsi à se in testamento adscriptum, petere valeat? Vid. Dn. Finckelth. ubi prius Obs. 8. afferendum; posterius Obs. 101. negandum esse censem.

IV. Nulla emptio sine pretio esse potest. Ibid. § 1.

V. Ubi eadem ratio, idem quoque jus esse debet. §. 1. in fin. vers. quod jus.

VI. Pretium in sola numerata pecunia consistit. §. 5.

VII. Autoritas poetarum & in jure non contemnenda. ibid. Civilis hæc scientia adeò latè patet, ut nulla ferè sit disciplina, cum quā commune nihil habeat, ait *Parlodor. in Ep. ad filios de nat. juris disc. in fin. l. 2. rer. quotid.* Hoc verissimum esse, vel inde liquet, quod arti quoque *Poeticæ locus* aliquis in *juris interpretatione relictus*; Poëtasq; maximè Celebriores in jure valde esse authenticos, & posse citari ad decisiones causarum probatur apud *Freundeb. de rescript. mor. in Epil. p. 58. n. 23. d. d.* Ec Poeticæ cum Jurisprudentia summam conjunctionem & affinitatem esse docet *Scip. Gentil. 2. parerg. c. 2.* Sicuti enim in vite sub foliorum palmitumq; umbris pulcherrimæ sæpè uvæ occultantur, ita sub istis delectamentis, scitamentis, &c, ut sic dicam, pampinis, reperiuntur crebro purpurei rerum fructus, qui juxta Horat. *Valdinus oblectant populum, meliusq; morantur.* Adeò ut passim in jure versus occurrant, quales benè multos observavit & concessit *Scip. Gent. d. l. c. fin. Quod autem Imp. Philippus int. 3. C. de Profess. & Med. scripsit: Poeta nullâ immunitatis prærogativâ juvantur, id hunc sensum neutquam habet, quasi poeticam artem abominetur, sed ideò sic constitutum, quoniam immunitates artium doctoribus tantùm & non aliis fuerunt concessæ. Vel quod nomine tam sancto abusi, satyris & contumelias certârint: Unde etiam Pla-*

eo il-

*Arte poet.*



603

to illos è Republ. exigendos esse statuerit. Vid. ad d. l. 3. Gujac. & Alber. Gent. & ejus frater Scipio 2. par. c. 1. Först. de interpr. jur. l. I. c. 7. Dn. Heinricus Gebhardi Cancellarius Aldenb. Vir antiqua virtute & fide in tract. de principiis & dign. Jurisprud. concl. 6. &c. Stephani Dialect. jurid. l. 2. c. 18. n. 25. Kluck. de contribut. c. 15. n. 64. & n. 120.

IIX. Ejus opinio, qui validioribus utitur rationibus prævalere debet. ibid. Non enim ex multitudine aucto. §. 6. de Com. rum quod melius & equius judicandum, cum possit unius forsitan & sepi. ff. deterioris sententia & multas & majores in aliquā parte superare: Interim tamen videmus in consultationibus pluralitati volorum ut plurimum tribui. Quām benē, proh dolor, sāpē cum incommodo experimur: quod si tamen majoris partis sive pluralitatis auctoritas attendenda, illa non tam ex numero personarum semper, quām ex negotii qualitate vel ex validitate rationum aestimanda. l. i. ff. de privil. credit. Majorem esse partem, pro modo debiti, non pro numero personarum placuit, dicit Papinianus l. 8. de p. a. Et ex consilio generali sic scribitur in cap. 1. de his qua sunt à major. parte. Nisi à paucioribus & inferioribus aliquid rationabiliter obiectum fuerit & ostensum. Sic etiam quoties de facto dubitatur, non ad multitudinem respiciendum, sed ad sinceras testimoniorum fidem & testimonia, quibus lex veritatis adsistit, Arcadius dicit in l. 21. §. fin. ff. de testib. Imp. quoque Justinianus sententiam duorum Juliani & Papiniani prætulit trium sententiarum, Marcelli Celsi & Ulpiani. l. 10. C. de condit. indeb. Quin & existant exempla longè gravissima, in quibus unius ratio, multorum sententiam expugnavit. De Epheso quodam exulante in Italia, qui solus persuasit populo Rom. ut Leges XII. Tabb. peterentur à Græcis, l. 2. §. 4. de O. I. De Gamalièle, cui omnes Judæorum proceres cesserunt. Act. 5. & c. ult. distinet. 9. c. in Gen. si de elect. Unde Plinius rectissimè Horat. Ep. II. sentit: In consultationibus, non tam numerandas quam pondemandas offesentias. Interdum enim & vulgus rectum vider, est ubi peccat. Darumb sol die Wahrheit bey uns stets Raum finden, auch da sie uns schon von geringen Personen fürgehalten wirdt. D. Cræmer. ad c. 8. Iudieb. v. 28. Vid. Stephani Dial. Jur. p. 202. Hunn.



de autor. Juris. c. 15. p. 224. Zang. de Except. p. 872. Supr. Disp. s.  
tit. 24. Ax. 24.

I X. Periculum & commodum rei venditæ ad emptorem  
spectat. §. 3

X. Venditor præstat dolum & culpam, non casum fortuitum,  
nisi ex pacto. ib.

X I. Quicquid sine dolo & culpa alicujus accidit,  
in eo est securus. *ibid.* Nam, ut rectè Democritus, etiam bonus  
governator aliquando naufragium facere, & vir bonus vel indu-  
striosus etiam infortunatus evadere potest. Merito itaque istis debitori-  
bus respiratione aliqua concedenda, welchen auf unversehnen zuge-  
standenen unfällen ihrer Leib oder Güter verdorben und aufgestan-  
den seyn. Satis namq; est, inquit Cicero, homines imprudentia lapsos  
non erigere, urgere vero jacentes, aut precipitantes impellere, certè est  
inhumanum: Cùm maxima sit pietas, quæ pro paupertate casibus  
fortuitis adnumerata facit. l. 2. §. ff. de administr. rer. ad civ. pertin.  
Præcipue si damnum gravius à fortuna & vi majore, nō propria cul-  
pa, multò minus dolo acceptum sit, cuius miseratione afflictos pri-  
vilegii alicujus solatio sublevari, nec dolorem in corde concentu-  
riari & quum ac pium videtur. l. 7. C. de natur. libb. l. i. C. vestig.  
nov. inst. non poss. Hinc Cassiodorus: *Pietatis (inquit) nostræ re-  
medio surgant, qui fortuna sua acerbitate corruerunt.* Vetus enim  
sermo, ac lex omnium hominum judicio recta & laudanda hoc  
præscribit, ne quis afflictis insultet, nec jacentes trucidet, sed tan-  
quam supplices misereatur, & veluti captis manum porrigat. *Isi-  
dor. Pelusiotæ ad Paul. tribun.* Sicut è contrario molesta sane res est,  
& cur non? infortunia, quæ propter miseriā & calamitatem huma-  
na naturæ inopinatò ingruunt, non levare, sed exprobrare, & doloris  
acrimonia exaugere, veluti fomentum perturbationis & pænæ  
erga congenerem naturam existentes, ut Theodosius apud Sto-  
bium loquitur; Quo allusisse videtur quoque Melchior Neofanius  
monarchid. p. 1. lib. 7. in seq. versu: *A miseria strictè non exige debita,  
si quem Paupertate vides affligi, opibusq; carere, ære tuo hunc releva,  
nec viscera claude petenti.* Divinitus enim datum est id, quod for-  
tuna obtigit, non ig. culpandi sunt, qui fortuna injuria damnum senserunt;

Imp. Ord. de  
anno 1577.

Pro Rabir.  
Postb.

.. .p. .j.

*aunt; cum ignavia potius, socracia, molitiae & luxui, & cum iis con-  
junctae divitiae in turpibus & viceupenatione dignis habenda. Vid. o-  
mnigenae Eruditionis & Caus Dn. Gail. Anebon. de Freundeberg. in tract.  
de rescript. monat. tit. 5. concl. 6. n. 11. & c. Manz. in patroc. debit. de  
paup. dec. 1. q. 4. n. 54.*

704

XII. *Commodum ejus esse debet, cuius est periculum. ibid.  
§ 1. 10. de R. I.*

XIII. *Quæ non sunt in commercio vendi non pos-  
sunt. §. ult. Et qui sciens rem tales emit, nihil agit; qui impru-  
dens, venditorem, quanti sua interest, obligatum habet. l. 4. 9. 22.  
34. §. 2. ff. b. c. Quia nihil tam contrarium bonæ fidei est, quam  
alterum in fraudem inducere, atque ex alterius inscitia prædari.  
Sed, Relicta olim ad pias causas, an usu isto deficiente, hodie in Lai-  
corum usus rectè converienda? Minime! Potius teste Livio, sacro  
abstinendum. Vid. Finckelb. O. 97. & Supr. Disp. 6. Ax. 4. §. 6. &  
Disp. 15. tit. 20. ax. 4.*

**TIT. XXVI.**  
**DE LOCATIONE ET CON-  
ductione.**

**MEMBRUM I.**

*Continens Textus Continuationem.*

II. *Locatio conductio, quæ est conventio de re aliquæ  
fruenda, vel facienda certâ mercede. Ejus requisita sunt; I. Consen-  
sus de certâ mercede. pr. §. 1. II. Numeratâ pecuniâ. §. 2. III.  
Res; §. 3. & 4. Et est alia temporaria, uti hæc; alia perpetua, quæ  
Emphyteusis. ib. Effectus est, ut Conductor præstet culpam non  
casum fortuitum. §. 5. Et eo mortuo, hæres succedat. §. ult. Ut  
& actio locati conducti. prin.*

**MEMBRUM II.**  
*Continens Questiones.*

I. *Num merces in locatione consistat in pectunia numerata?*  
Aff. cum Först. d. 18. tb. 8. Sutbold. d. 15. tb. 43. Fachin. l. contr. 82.

B

Treutl.

Treutl. v. i. d. 29. tb. 3. q. & ib. Bach. p. 1109. Contra Hanon. d. 16.  
ib. 17. Harpr. ad §. 2. bīc. p. 843. n. 3. Wesenb. & Heig. bīc. n. 16.

II. Num scriptura requiratur ad Emphyteusin? Aff. cum  
Först. ib. ib. II. Treutl. v. I. d. 29. tb. 9. d. Rerens d. II. tb. 2. q. 5. Con-  
tra Harpr. ib. p. 880. n. 57. Vultej. & Bacov. ad. Tr. p. 1125.

III. An levissimam culpam ex natura contractus debeat præ-  
flare conductor? Neg. cum Först. ib. 12. Hanon. ib. 22. Sichold.  
ib. 48. Harpr. p. 981. n. 9. Treutl. ib. 6.e. & ib. Bacov. p. 1117. Con-  
tra Cujac. & Donell.

### ANTINOMIAE.

I. Emphyteuseos contractum perpetuum esse, in Jctorum  
decretum est comitiis per §. 3. in pr. bīc. & l. 1. ff. si ager vectig.  
Quibus tamen Paulus in l. 3. ib. suum denegat suffragium. Quod  
tamen Harpr. bīc. p. 886. n. 92. & n. 185. Martin. Contrar. ib. 6.  
Don. En. l. 9. c. 13. K. & i. Conan. 7. com. 12. ita supplant. Ut veritas,  
tanquam palma in medio sita, sine ulla pertinacia arripi possit.

II. Non sequamur quoque illos, qui contentionis serram inter.  
§. 3. vers. aliore, bīc. l. 1. ff. si ager. vectig. l. 7. 9. pen. & ult. ff. de leg.  
l. 1. C. de fund. patrim. & l. 3. C. de jur. Emphyt. trahunt, omnes a-  
lienationis species Emphyt. denegantes. Quos tamen de peccatis inde-  
nies apud Jurisprudentia nostra Tribunos, Harpr. p. 932. n. 337. &c.  
Riem. dec. II. q. 4. Arum. Ex. 14. ib. 14. Donell. l. 9. com. c. 14. e.  
Nam studio atque modestia parandum servandumque est regnum  
nostræ Divæ, cuius anima Concordia est: non ambitionibus aut fa-  
ctionibus exercendæ coniurationes: quibus aliis aliorum distra-  
hentibus, Veritas, quæ in medio, laceratur.

III. Quia in contrariis lis perpetua, nullum quoque commer-  
cium quidam inter §. 4. bīc. & l. 21. §. 2. ff. locati esse contendunt,  
quod tamen Sabinus in l. 20. ff. de contr. empt. Martin. contr. ib. 19.  
& Harpr. p. 978. n. 3. liberè concedunt.

### AXIOMATA.

I. Pacta informant contractus tam juris gen-  
tium, quam Juris civilis. §. 3. Utinam, inquit Seneca, nulla  
Aipulatio emptorem venditori obligaret, nec pacta conventaque  
impressis signis custodirentur, Fides potius illa servaret & veritas.  
Annulis nostris plus, quam animis creditur. Hinc obligationes con-  
sciunt-

705

Sciuntur & Ridicula, auf ein niedersigen / & Impossibile, beynt theile des Himmelreichs; & Dura, bey verhaftung seines Leibes; & Prohibitæ, zum einlager oder leistungmachung. Gail. 2. O. 45. At scie, inquit Euclio iste Plautinus, quo vos soleatis pacto perplexarier. Aulal. 2. 2. Pactum non pactum est; non pactum pactum est, quod vobis lubet. sc. 2. v. 81. Dolendum certè: Quodnunc tot fidibus luditur una fides. Sicut enim cithararum fides sive chordæ, ita cor hominis, sive fides concordare debent, validissimum cuique testimonium. Hering. de fidejuss. c. 19. n. 80. Et Cassiodorus ait: Incommutabilis fidei esse omne, quod vivimus. Ubi enim sana fides non est, ibi nec justitia esse potest; Sed litigium adeò crescit, ut fide non servatā in negotiis peragendis, homines segniores reddantur; & commercia frigescant. c. ubi 24. q. 91. Promissor omnis, inquit Sarisberiensis, apud Veritatem l. 3. de iug. pollicem fixit, & jure civili, cessante Fide, naturaliter obligatur. Sed cur. c. 11. quis actor durius ager, quam Fides, si ipsa cœperit accusare? Si ager Conscientia; quis absolvet? Revertimini ig. o Germani ad pristinam integritatem, Postaservate, animis, non annuliscredite, & cogitate, virum gloriosum promissa non complentem, nubem & ventum esse, quem pluviae non sequuntur. Grosse Wort/ vnd nichts das hinden/ quos Galli Braveurs appellant; Hispani, paebras de complimento, Ehrenwort/ vnd keine rechte Verheischungen. Aber bey Hoffleuten ist Grosssprechen/ schmeicheln vnd heucheln gemitiglich die beste Kunst. D. Cramer. ad cap. 5. Judith. v. 27. & 29. Scip. Aminat. disc. in Tac. l. 10. c. 8. Partibus. litig. l. 1. c. 13. n. 28. Freudeb. de reser. mor. tie. 6. concl. 15. n. 67.

Proverb. 25.

v. 14.

II. Servanda lex conventionis; & si quid in lege prætermissum, id ex bono & æquo præstandum. § 5. Licet de hoc exprestè non convenerit. l. u. rr. ff. de act. empt. Quia hoc generaliter traditum de omnibus contractibus, qui consensu perficiuntur. vers. item si. supr. de oblig. qua ex consensu. Unde etsi in genere *Salvus conductus concessus*, nihilominus facultas tam veniendi, quam recedendi concessa videtur. Neque enim in fidei aut securitatis promissione, solum quid concedens, verum etiam quid recipiens verisimiliter cogitarit, inspiciendum esse, monet Bald. vol. 5. Cons. 414. Presupponendum autem, recipientem de re-

B 2

dicu-



*Et item in modo cogitasse, quia utique venire etiam sine illâ securitatis  
promissione potuisset, & ideo, ut securitas data aliquem effectum  
babeat, omnino redditum implicet necesse est, & captiosa ex eo satis ap-  
paret interpretatio, etiam si tabula securitatis in specie redditus inseritur  
non fuisset, quia sufficit, quod in genere promissa sit securitas, quâ  
qui gaudere debet, ut tunc redire possit, consecutarium est: Et cum  
in privatorum pactis, iter eundi, ius quoque redeundi contineat. l. uti-  
mum de sepulcr. viol. sanè in Principum ac Magistratum promissio-  
nibus, in quibus exuberantior bona fides requiritur, hæc duo vel ma-  
xime se invicem comitari debent. Unde Mauritius Elector, Caro-  
lo V. subtilem quasdam interpretationes adversus Philippi Land-  
gravii liberationem nectenti: *At Ego, dixit, Te, tanquam Impera-  
torem, non tanquam Legislatum, volo pactiones & fædera interpretari;*  
post Thuan. Gentil. delegat. l. 2. c. 10. Vox enim Principis instar  
Oraculi esse debet, unam habens linguam. Claram. de arcan. rerum.  
l. 5. c. 8. Quare regiè, ut pleraque alia, Alfonsus Rex Neapolitanus  
dixit: *Solum fidem tantum apud Principem, quantum iumentum*  
*apud privatos, valere debere.* Et Archiepiscopus Coloniensis apud  
Saxos: Crantz: *Verba, inquit, Cesarea Majestatis mihi pro juramento*  
*sunt, & sicut surpe est aliis omnibus, quibus vel minima virtus cordis*  
*est, fidem fallere, ita turpissimum est Principi viro, pacta violare.* Ille  
enim debet esse immobilius, sicut lapis angularis; & sicut polus in cœ-  
lo. Unde & unum calamum, & unam non plures linguas habere  
debet. Dn. Finckelth. O. 105. n. 17. Cöler. de process. execut. p. 4. c. 10.  
n. 220. Arum. disc. 1. ad A.B. th. 20. Arnis. de jure Maj. c. ult. in fin.  
Dn. Carpzov. prax. crim. p. 3. q. 112. n. 8. § 751*

III. Conductor præstat diligentiam, non casus fortuitos. §  
pen. l. 25. §. pen. ff. & l. 28. C. b. t. Först. d. 18. tb. 13.

IV. Conductio transit ad hæredem. §. ult. l. 10. C. b. t. Quia  
obligatio est juris: *Heres autem juris successor.* arg. §. 11. supr. de  
reflam. E. eodem debet jure uti. l. 20. de R. I. Quod secus in so-  
cietae & mandato. §. 5. tit. seq. Quia hic respicimus ad rem;  
ibi ad personam, cuius industria est electa.

TIT.

706

TIT. XXVII.  
DE SOCIETATE.

III. Societas, est contractus ex consensu, inter aliquos communem lucri & damni inducens. l. 5. §. 1 ff. b. 1. Estq; vel universalis omnium bonorum; vel particularis alicujus rei vel negotiationis. princ. Et agitur l. de ea CONSTITUENDA; Ut partibus scil. definitis, aequales sint. §. 1. Non definitis, servanda pacta §. 2. & 3. II. De CONSTITUTA DISSOLVENDA; Ut l. Renuntiatione tempestiva & non dolosa. §. 4. II. Morte Socii. §. 5. III. Fine negotii. §. 6. IV. Publicatione §. 7. & V. Bonorum cessione. §. 8. Et III. demque DE EFFECTU, actio nempe pro socio ultrò citroq; directa, quā socius socio de dolo & culpa, in id quod facere potest, tenetur. §. fin.

QUEST. I. Num pactum valeat, ut ad hæredes transeat societas? Neg. cum Först. d. 18. tb. 16. Sutb. diss. 15. tb. 60. Hanon. d. 17. tb. 4. Arum. Ex. 15. tb. 4. Harpr. p. 1012. n. 15. Contra Hotom. & Thoming.

Q. II. An in actionem pro socio etiam levissima culpa veniat? Neg. cum Hænon. tb. 7. Sutb. tb. 61. Harpr. p. 1016. n. 4.

III. Num conferens operas, finitā societate fiat particeps sortis seu capitalis? Neg. cum Först. tb. 15. Gerbard. dec. 15. tb. 95. Henon d. 17. tb. 2. Berens. d. 12. tb. 1. Harpr. p. 1007. n. 26. Contra Covarr. & Hunnum.

ANTIN. Nullam pugnam inter §. 3. b. t. & l. 31. locati. l. 10. ff. de libb. & post. agnosco. Et ne me fingere putes, tibi pignoris loco relinquam præsidia à Marcilio h̄c. p. 519. mutuo accepta.

AXIOMATA.

I. Rei turpis seu flagitiosæ societas nullas habet vires l. 57. ff. b. t.

II. Pacta sunt servanda §. 1. Nam quo genere quis obligatus est, hoc fidem exolvere debet. Vid. tit. præcad. Ax. 1. §. 2. Sauter. in prax. bancarupt. c. 5.

III. Opera pro pecunia valet. §. 2. Et præciam opera, ars est velamentum. l. 52. §. 11. ff. b. t. Hoc est, velat, ne videatur ars aut opera defuisse Martill. ibid. Sæpe enim quorundam ita

Seneca §. de  
benef. c. 15.

S. fin. in pro-  
am. ff.

l. 14. C. de  
Advoc. div.  
jud.

l. 6. C. de  
Profess. &  
Medicis.

arg. Auth.

Habita C. ne  
ne fil. propa-  
tre.

l. 14. C. de  
Advoc. div.  
jud. lib. 3. c. 2.

l. 2. c. 4. pr.

preciosa est opera in communī vitā, ut eos justum conditione meliorē  
in Rēpubl. admitti. *ibid.* Quid ig. mirum; quod *LL. Doctoribus*  
tanquam Justitiæ & Reipub. ministris, & sacri Romani Imperii  
militibus, humanarumq; fortunarum, rei, spei, vitæ, posteritatisq;  
Defensoribus, immunitas à personalibus & extraordinariis oneribus  
& collectis à maximis Impp. sit concessa, etiam impositis tempore bel-  
ti. Cum Jurisprudentia dux sit communis vitæ & salutis, civitatum  
moderatrix, atq; rerum agendarum & vitandarum arx & scientia, sine  
quâ nulla societas potest consistere humani generis. Hæc non solum  
ut Philosophia, virtutem querit, sed etiam inventam præmio exor-  
nat: nec solum, ut Theologia, vitia ex hominum societate extrahit,  
sed etiam ulcisciur suppicio: Nec ut Medicina, remedia tan-  
cum habet in columitatis, sed etiam honoris & dignitatis: neq; si-  
cuti Rhetorica, mortaleshortatur ad virtutem, sed impellit: neq;  
ut Grammatica, rudimenta habet orationis, sed primordia æterni-  
tatis: nec deniq; ut Dialectica, sectatur, quod est verosimile, sed  
cantum, quod verum est: Lex siquidem nullis vim, nullis imperium  
feri patitur. Nihil est in civitate boni, nihil tuti, nihil honesti sine le-  
ge; quod lucis bujus usurpatur fruimur, quod demum sumus; id omne  
legis est beneficium. Nam sine ejus pœnâ & metu, quò diffueret  
impurissimorum hominum libido? quò cupiditatis æstu flagraret  
mortaliumpacitas & avaritia? quantam ad necem ferrum irato-  
rum exacueretur? Leges sunt, quæ nos à tantis periculis, tantaque  
atrocitate & scelerum tuentur ignominia, quæ nos in summo otio,  
atq; in summa tranquillitate custodiunt. Nec cornu Amaltheæ cor-  
nu erat bovis, ut pingitur, sed ius & ratio, in quâ sua est rerum o-  
mnium utilitas & copia, cuius cognitionem si possideas, imperii  
artem possideas. Publicè itaq; interest, privilegiis ac immunitatibus  
invitare Doctores, scholares, aliosq; litteratos ad elaborandum in  
eâ scientia, quæ publicè & privatim pluribus sit profutura: quia  
ipsorum opera pro pecunia valet, & non minus quam milites armati  
Rēpubl. defendere intelliguntur. Unde non minus verè quam ele-  
ganter Val. Max. Eandem, ait, laudem mereri fortitudinem foro, atq;  
castris editam. Et alibi: Quid prodest, inquit, foris esse strenuum;  
si domi male vivitur? Expugnantur licet urbes, corripiantur gentes, re-  
gnis

gus manus injiciantur, nisi foro & Curiae officium ac verecundia sua  
consticerit, partarum rerum cælo cumulus aquatur, sedem stabilem non  
babebit. Quo respicit quoq; illud Ciceronis: Nihil profunt arma,  
nisi sic consilium domi. Quod adeò verum est, ut eos, qui Academi-  
cis & Scholis ejusmodi privilegia immunitatis eripere, vel quâvis  
ratione labefactare conati fuerint, enqua sacrilegos excommunican-  
dos & exilio deportationis subjiciendos statuant Dd. int. 5. C. de SS. Ec-  
cles. Steph. de jurisd. p. 2. c. 10. n. 15. p. 74. Röck de contribut. c. 15. n.  
3. 115. & 121. supr. d. 12. t. 24. Ax. 2.

707

IV. Nemo ex suo dolo lucrari debet. §. 4. Ex quo ta-  
men hodie multi maximum captant lucrum, præsertim Stratiotici  
ordinis homines, qui bellum dolosè cauponantur, dum lucri causa  
omnia faciunt; & donis, auroq; magis, quam ferro, vel viribus  
bellum gerunt: quos ego non milites, sed latrones dixerim; cum  
milites ideo esse velint, ut latrones esse possint. Qui in vaporariis  
dehescunt, generosi Martis vibices, milites ad lucrum & malitiam,  
non justitiam, latrones, sicarii, agrorum depopulatores, grassatores  
& seditiosi, öffentliche Streifser vnd Landzwinger, Schnaphanen  
vnd Raubvögel/ qui cum deberent esse defensores oppressorum,  
misericordis agricolis, imò Nobilibus, in confiniis lites atq; malitias mo-  
vent: Persæ non Germani, apud quos rapto quam bello vivere, aequè  
bone sum. De quibus verè & severè Poëta: Militia quondam  
partes ac jura fuerunt, Tuta patriæ dulcia recta sua: A sociis arcere  
minas, pepulisse Tyrannos, Hostis & incursus continuuisse vagos. At nunc  
quod bellum: nisi præda; nec hostem, Sed socium vitâ est expoliasse de-  
cūs, daß man die Freunde an Leib vnd Gut/ ganz jämmerlich verau-  
ben thut. O pudor! o henos? quò ivistis? Exules facti à militiâ  
ad malitiam rediistis in Europa! Vid. Hering. de fidejuss. c. 7. n. 162.  
Gödd. de contr. stip. c. 7. concl. 17. n. 305. Lips. l. 5. pol. c. 8. & de milit.  
Rom. l. 5. c. 20. Rittersb. ad Novell. p. 14. c. 16. n. 13. Clock. de contrib.  
c. 17. n. 210. &c. supr. D. 12. tit. 22. Ax. 3. Ens in Epilo Philolog.  
p. 218.

VI. Qui parum diligentem socium adsumit, de se queri, si-  
biq; hoc imputare debet. §. ult. Aut enim ignorat, aut non: si  
norit, scilicet, quod cum homine negligente contraxerit: si non;  
a quæ



sequè stultus, quod cum ignoto. arg. l. 19. de R. f. Quia societas v-  
luntaria. §. 5. b. t. Vid. supr. D. 14. tit. 15. ax. 4.

## TIT. XXVIII.

### DE MANDATO.

IV. Mandatum est *contractus ex consensu*, de faciendo alio  
quid gratuitò. pr. & §. ult. REQUISITA ejus sunt: *Consensus*: Ne-  
gotium honestum: *Et gratitatis executio*. Et CONTRAHITUR Man-  
dantis tantum gratia. §. 1. Tui & mandantis §. 2. Alieni §. 3. Sui  
& alieni §. 4. Tui & alieni §. 5. Tui tantum, *quod tamen magis con-*  
*filiū* §. 6. 7. 8. Et purè, vel in diem & sub conditione fieri pot-  
est: §. 12. §. 13. SOLVITUR autem Revocatione re adhuc integra. §. 9.  
Morte alterutrius §. 10. Et Renunciatione sive pænitentia manda-  
tarii tempestiva. §. 11. Atque hinc oritur *actio* mandati Directa  
mandanti, & Contraria mandatario competens. d. §. 8. & § fin.

QUEST. I. Num mandans homicidium, pœna puniri  
debeat, quâ mandatarius id perficiens? Aff. cum Först. d. 18. tb. 17.  
Hanon. d. 17. tb. 10. Arum. Ex. 15. tb. 8. Contra Menoch. & Cla-  
rum.

II. Mandans, si mandaverit aliquem vulnerari tantum, non  
occidi, utrum ordinariam subeat pænam, si mandatarius istum oc-  
ciderit? Neg. cum Harpr. ad §. 5. I. de publ. jud. n. 80. & Hanon.  
d. 17. tb. 11. Contra Treutl. & Cuback.

ANTIN. I. Mandatum ex necessitate naturæ suæ *consen-*  
*suum contractuum* se sistere debet territorio; à quo tamen l. 95.  
ff. de A. R. D. illud eximere conatur. Sed ne ipsis l. trice te redi-  
cant suspensum: Consular Marci. bdc. p. 519. & Harpr. p. 1021. n.  
13. ubi Lydiū lapidem, ad quem ipsius revocaanda conciliatio,  
actutum reperties.

II. Extra omne quoque periculi discriminem non esse positum  
*Consilium* alias non *contracturo* datum, propter §. 6. bdc. l. 6. §. 1. ff.  
mandati; ritè deducunt. Hiling. Don. En. l. 13. c. 10. i. Harpr. p. 1031.  
n. 5. & Hanon. d. 17. tb. 9.

### Axiomata & Digressiones.

I. Nemo ex consilio mandati obligatur, etiamsi non expe-  
ditat

diat ei, cui mandatum; cum liberum cuique sit apud se explorare,  
an sibi expediat consilium. §. 6. Quia iniquum est fidem suadentis  
incertus futurorum casibus obligari. Et defuturi sunt, qui suadeant  
si male suassisse periculum sit. Cūm sēpē prava magis, quam bona con-  
silia prospēre eveniant. Quia plerasq; res Fortuna ex libidine sua agi-  
tat. Imò Centum doctūm hominum consilia sola hæc devincit Dea.  
Lips. pol. l. 3. c. 8. Sed an litteræ commendatitie seu verba com-  
mendatoria scribentem seu loquentem obligent? Regulariter Neg.  
esse censet Dn. Finckelth. Obs. 16.

708  
Symmachus

l. 6. Ep. 60.

Curt. l. 3.

Sallust.

Plaut. pseud.

II. Mandatum contra bonos mores non est obligatorium.  
§. 7. l. 6. §. 3. l. 12. §. 11. l. 22. §. 6. ff. & l. 20. C. b. t.

III. Sententia benignior sequenda. *ibid.* Et lenio-  
ra præferenda asperioribus. arg. l. 56. de R. I. Unde qui ex acci-  
denti, id est, sine sua culpa, sed *casu fortuito*, incendio, bello, latro-  
num vel aquarum incursu ad inopiam redactus, non in carce-  
rem detrudendus, aut ad bonorum cessionem cogendus. Quia  
ubi nullum est delictum, ibi quoque nulla pœna esse debet. Manz. in  
patr. depaup. deb. dec. 2. q. 1. n. 30. & 31.

IV. Mandatarius non debet excedere fines man-  
dati. §. 8. l. 5. ff. & l. 12. C. *ibid.* Nam qui excedit, aliud quid fa-  
cere videtur. d. l. 5. Licet autem à fine mandati deflectere non  
oporteat, mediatis tamen ad finem rectè ducentia, pro usu negotii eli-  
gere mandatarius potest. l. fin. §. fin. ff. b. t. Nec enim quicquam  
mandantis interest, quo modo id, quod confectum voluit, confi-  
ciatur. l. 12. §. 5. ff. b. t. & ib. Wes. in par. n. 6. Sed hæc in caussis  
privatis. In publicis per alia media negotium confiscere integrum  
non est, imò nec utiliora sectari licet, ex receptâ Philosophorum &  
Iectorum sententiâ. Ideoque Legato Principis à mandati formula  
recedendum non est, etiamsi melius ac uberioris quam jussus fuerat,  
negotium gerere potuisset; ne si spes fefellisset, culpa impatientiæ  
& pœna ineprecabilis subeunda esset: Si res fortè melius vertisset; Gell. l. c. 13.  
Diis quidem gratia habenda, sed exemplum tamen intromissum vi-  
deretur, quò benè consulta consilia religione mandati soluz̄ corrum-  
perentur. Sic eum, qui in bello rem à duce prohibitam fecit, aut  
mandata non servavit, etiamsi res benè cesserit, capite puniri vult

Q.

C

Mode-



l. 3. §. 15. de Modestinus noster. Quod ipsum Posthumius & Manlius præstan-  
re milit. tissimorum filiorum, qui contra Imp. patrum præcepta pugnâ-  
Val. Max. 2. rant, hostemque superarant, mortibus ostendere voluerunt.

c. 2. Legatus itaq;, qui resemel statuta & deliberata à Principe certum  
mandatum accepit, nihil contra vel preter mandatum faciat, sed  
super re novâ & incidenticaussâ committentem potius consulat,  
ne si res aliter opinione cadat, in vitæ, honoris & bonorum peri-  
eulum adducatur: vix enim dici potest quantoperè Principibus  
inobedientia displiceat. Vid. Machiav. l. 3. disp. c. 22. Bodin. 3. de  
Rep. 2. Corras. 1. misc. 24. Tholos de Rep. 24. c. fin. Gail. 1. de P. P.  
c. 4. n. 26. Alberic. Gentil. de legat. l. 4. c. 16. Gerbard. dec. 15. q. 10.  
Besold. disp. pol. 7. ib. 32. cl. 2.

V. Justa & probabilis ignorantia nulli damnum afferre  
debet. §. 10.

V.I. Mandatum non fuscipere cuilibet liberum, susceptum  
autem consummandum est. §. 11. Quia variare vel improbare,  
quod semel approbatum, non licet. l. 15. de neg. gest. Maximè postea-  
quam jus alteri quasi sum est; Vel si illa variatio in alterius præju-  
dicium tenderet; cum nemo possit mutare consilium in alterius detri-  
mentum. l. 75; de R. I. Freundeb. de rescript. mor. 1. 7. c. 27. n. 16.

## TIT. XXIX.

### DE OBLIGATIONIBUS, QUÆ EX quasi contractu nascuntur.

Absolutis veris seu propriis contractibus, sequuntur nunc quasi  
si CONTRACTUS. Supr. tit. 14. qui sine conventione prævia ex tali o-  
riuntur factio, & quidem licito, ex quo alter alteri ipso jure, velit  
nolit obligatus esse cogitur. pr. Tales hic enumerantur quinque.  
I. EST NEGOTIORUM GESTIO; quâ quis absentis & ignorantis ne-  
gotia sponte sine mandato gessit. §. 1. hic. II. TUTELÆ ADMINI-  
STRATIO. §. 2. quod Tutor rem pupilli administraverit. III. RE-  
RUM COMMUNIO, inter illos, quos in societatem non consensus,  
sed res conjunxit. §. 4. HÆREDITATIS ADITIO, quâ heres adeun-  
do cum legatariis videtur quasi contrahere. §. 5. Et V. Denique

INDE-

INDEBITI SOLUTIO, quā is, qui indebitē solutum accepit, ad ejus restitucionem obligatur. §. 6. & 7. & §. 1. supr. tit. 15.

QUÆST. I. An negotiorum gestor teneatur de levissima culpa? Aff. cum Harpr. bīc. p. 1061. n. 41. Först. d. 19. tb. 1. Contra Hænon. d. 17. tb. 27. & Arum. Ex. 15. tb. 11.

II. An tutor vel curator cogi possit ad reddendam pecuniam pupilli vel adulti, antequam reddat rationem administrationis? Neg. cum Harpr. bīc. p. 1072. n. 12. & Hænon. tb. 18. In quā tamen non de levissima culpa tenetur. Först. tb. 2. Harpr. ib. n. 13.

III. An divisio hæreditatis præscriptione; aut à testatore impediti possit? Neg. cum Hænon. tb. 20. Harpr. ib. p. 1082. n. 31. & n. 47. Contra Hunn. & Alex. Imolam.

IV. An hæres adeundo hæreditatem teneatur creditoribus ex quasi contractu? Neg. cum Arum. Ex. 15. tb. 13. Harpr. p. 1086. n. 4. Contra Myns. & Schneidw.

V. An ad antidora obligato, competit indebiti condicō? Neg. cum Först. tb. 4. Contra Duaren.

709

### Axiomata & Digressiones.

I. Alienæ negotia exacto officio gerenda & non deserenda. arg. §. 1. & l. 20. C. ib. Ne audire cogatur illud Ciceronis: *Cur mihi te offers, ac meis commodis officio simulato officiū & obstatas: Recede de medio, per alium transigam: Suscipit onus officii, quod te putas sustinere posse.* Suæ quidem rei quisque moderator atque arbiter est. l. 21. C. Mandati; Alienæ verò negotia exacto officio gerenda, nec quicquam in eorum administratione neglectum ac declinatum culpâ vacuum est. Först. d. 19. tb. 1. Gerhard. dec. 16. q. 1. Don. En. Hillig. l. 15. c. 15. f.

II. Inficiando lis crescit. §. ult. Aus dem leugnen nimpe die ansprach zu. Quia leges certis quibusdam casibus improbatam negantum coercere voluerunt, intentato metu pœnae dupli. arg. §. 18. de act. Veluti ex L. Aquilia, Ex legato sacrosanctis Ecclesiis & ceteris venerabilibus locis relieto; Itcm ex deposito ob ruinam incendiis, & naufragium. Harpr. ad §. 1. quib. m. re contr. n. 77. Sic debi-

debitor negans debitum, & postea convictus, non gaudet beneficio cessionis. Nam mendaces oderunt jura. l. 5. C. si contra jus. Et Mendacium necat privilegium; & inficiatio privat jure. MENDACIA

Senec. 5. de itaq; COERCENDA. ib. Quid enim magis Christianum hominem deceat, quam nitione uti, atque oratione verâ, omnis in re quid sit veri videre Et tueri? contra fallere, decipere, tam dedecet, quam delira-

Gell. 11. c. 11. re Et mente captum esse. Vir bonus præstare debet, ne mentiatur, prudens ne mendacium dicat. Propter hoc nobis datus est sermo,

Plato. ut presto forent mutua voluntatis indicia. Unde apud Persas mendacium capitali animadversione punitum. Et Epanetus

Herod. dicere solitus: Mendaces omnium scelerum & injuriarum autores

Plutarch. esse. J. Cæsar Scaliger mendacium ita detestatus: Ut si quem

mendacem deprehendisset, fideret nunquam, diceretq;: Christianum alienum à Mendacio esse debere, nobilem verò et si Christianus non esset. Aber bey Hoffleuten vnd Politicis, kan man mit der wahrheit selten fort kommen/ sondern wer am besten ihnen zum Munde reden kan/ der ist bey ihnen gemeinlich der beste Mann. D. Cramer.

Colos. 3. 9. ad c. 5. Judith. v. 26. Auch da Petrus gen Hoff kame/ ward

Ephes. 4. 25. ein Schalck drauß. Gruter. in Prov. Germ. p. 1. Sed Vos (ut piè

monet Apostolus) Nolite mentiri invicem. Verum; Deponentes mendacium, loquimini veritatem, unusquisque cum proximo sua:

nam sumus alii aliorum membra. Dann die lügen hat doch ein

frank Beyn/ vnd kan nicht beständig bleiben. D. Cramer. ad c. 6.

Judith. v. 12. Vid. Manz in patroc. dep. deb. dec. 2. q. 3. n. 10. Et

14. Et q. 8. n. 50. dec. 3. q. 7. n. 44. Et 54. Freudeb. de reser. mor. p.

271. n. 1. Et c. Sauter. de bancarupt. p. 75. Auter. flor. Scalig. p. 5.

Jac. Schultz. quest. pract. 70. n. 199.

III. Venerabilia loca honoranda. ibid. Non tamen ita, ut peregrinationes ad Templum, Sepulchrum, Reliquias Sanctorum aut Imagines, quales hodie promissionibus Indulgientiarum largissimis intervenientibus in usu Pontificiis sunt, instituamus. Non enim Hierosolymis fuisse, inquit D. Hieronymus, sed Hierosolymis benè vixisse laudandum est. Et veri adoratores neque Hierosolymis, neque in monte Gazarim sed ubique Deum adorabunt. Sed ut alias loca, ob beneficium aliquod amare solemus. Sic Ladislaus Neapo-

lensis. I. p. 102.

*lis Rex, cum amissis regno Cajetam se recepisset, ibique communi Job. 4. v. 23.*  
civium sumtu aliquamdiu fuisset sustentatus: Recuperato regno,  
*Cajetanos tanto amore & Benevolentia, prosequutus, ut nemini, qui*  
ab ipso aliquid peteret, quidquam negaret. Hinc agasonis cu-  
jusdam jocus, *Felicem asinum suum fore dicentis, si Cajete natus*  
fuisset, siquidem Rex oppidi vel arcis prefecturam ei sit demandatu-  
rus. Vid. Bernegge. Idolum Lauret. c. 12. p. 130. Ens lib. 1. Epi-  
dorp. p. 166.

770

TIT. XXX.  
PER QUAS PERSONAS NOBIS  
obligatio acquiritur.

Restat, ut quemadmodum obligatio acquiratur, & tollatur,  
tit. seq. videamus. ACQUIRITUR autem nobis I. Per nos metiposos,  
vel per potestati nostrae subjectos, ut servos & filios fam. princ.  
II. Per Liberos homines & Alienos servos, quos bona fide posside-  
mus. §. 1. III. Per Servum usumfructuarium. §. 2. Et IV. denique  
communem §. ult.

QUÆST. An Filius fam. & servus ex causa peculiari tan-  
cum patri vel domino ignorantie acquirant possessionem? Aff.  
cum Henon. d. 17. ib. 22. Först. d. 11. ib. 8. Harpr. ad §. 3. I. per quas  
pers. cuique acquir. n. 15. Contra Cujac. 24. O. 9.

AXIOMATA.

Post decisionem res expedita est. §. 3. Lites enim  
refecanda, ad exemplum Rudolphi Comitis Habsburgensis, qui primus  
Imperiale dignitatem in Austriacam familiam inculit, cui cum  
Abbate Sangallensis Cænobii valde tum potente, & aliis vicinis, lis  
intercedebat, is captato prandii tempore Abbatem accessit, & ul-  
troneum se convivam exhibuit, magna cum omnium admiratio-  
ne. Sublatis mensis cum Abate aliquamdiu collocutus, tan-  
dem pacem fecit, ac discedens, suis: *Cui tres, inquit, lites, meo judi-  
cio recte fecerit, si duabus compositis, tertiam tanto diligentius prose-  
quatur.* Hanc decisionem eidem expeditam & utilem fuisse even-

C 3

tus.

tus docuit: utcui postea prædictus Abbas bonam adversus hostes operam navavit. *Ens Epidorp.* lib. 2. p. 195.

TIT. XXXI.

QUIBUS MODIS TOLLITUR  
obligatio.

Tollitur obligatio I. Naturaliter; *Solutione*, quæ est præstatio ejus, quod debetur. §. 1. Et *contraria voluntate*, sive pœnitentia, re adhuc integra. §. ult.

II. Civiliter, *Acceptilatione*, quæ est imaginaria solutio, ubi verbis solvitur obligatio verbis contracta, non re aut numeratione. §. 2. Et *Novatione*: quæ est prioris debiti in aliam obligationem expressa transfusio; §. 3. Cujus species est *Delegatio*, quæ est alterius debitoris in suum locum substitutio, cum consensu delegati & creditoris.

QUÆST. I. An creditor particularē solutionem admittereteneatur? Neg. Regulariter *cum Först.* d. 19. tb. 6. *Math.* hic. p. 278. *Harpr.* p. 3. 5. n. 146. *Treutl.* v. 1. d. 20. tb. 11. a. & *ib.* *Bach.* p. 770. *Contra Hunn.* *ib.* & *Cors.*

II. Num acceptilatio juris sit civilis? Aff. *cum Först.* tb. 9. *Harpr.* p. 1109. n. 1. *Treutl.* v. 2. d. 29. tb. 4. a. *Contra Ferret.*

III. An in fidejussione quoque novatio locum habeat? Aff. *cum Först.* tb. 14. *Hering.* de fidejuss. c. 20. §. 3. n. 3. *Godd.* de contr. stip. c. 5. concl. 6. n. 40. *Harpr.* p. 1118. n. 24. *Contra Sichard.* & *Salicer.*

ANTIN. Vastum illud & anceps *Juris mare multis difficultatum procellis concitatum esse*, conqueruntur JCtorum filii. Inter quas non minimi roboris hinc turbo. *quomodo novatio fieri debet?* Ne ig. mens nostra in vago illo freto, vago motu circumferatur, pondere atque saburra legum navis nostra sustitur, atque ordine remis vela singula ligantur per *Harpr.* p. 1121. ad §. 3. hic. n. 37. *Först.* tb. 13. *Hanon.* d. 17. tb. 30. *Facbin.* 3. contr. 92. & *Frantz.* Ex. II. q. 10.

AXIOMATA.

I. Quocunq; debitum solvente, debitor liberatur.  
*princ.*

II. In-

II. Interventu novæ personæ nova nascitur obligatio. §.3. vid.  
diff. præced. tit. 18. ax. 2.

III. Novatio nisi expressè facta, non præsumitur. *ibid.*

IV. Consensu contracta, contrariâ voluntate dissolvuntur. §.4.

**C**onsensualium modos Contractuum,  
Legesq; fixas à dynastis, ventilas,  
**G**ERLACHIAE stirpis D'AVID spes tertia,  
Exceptionum machinas & disjicis.

Canos Parentis quàm beas clarissimi!  
Cordis senilis intimos mulcens sinus!  
Si vota ditant, quæ pius fundit sator,  
Te nemo fortunatior vel ditior.

**T**AUBMANUS hoc gymnasma Præses dirigit;  
Tu subses, olim par futurus Præsidi:  
Hoc Arbitr faxit supremus Jurium,  
Et sospitet semper meos GERLACHIOS.

*Dn. DAVIDI GERLACHIO,*  
*filii ad instar dilecto F.*

Paulus Röberus D.

**A**Mule virtutum magni, GERLACHE, parentis,  
Carminibus dignis quem mea Musa colit.  
Applaudunt Pater & fratres, latantur amici:  
Cum quibus ex animo lator egoq; simul.  
Ornas dum Spartam sinuoso codice Baldi;  
Non verò pugnis, ensibus atque minis.  
Perge ita, quò possit pater olim dicere: Fili  
Conatum laudo consiliumq; tuum!

*Ad testandum affectum suum  
maximum f.*

**M. Christophorus Nottnagel**

Sup. Math. Prof. Publ.

Ultima



**U**ltima non laus est, multo sudore parare  
Merce, quas nobis venditat ipsa Themis.  
Laus Tibi debetur, GERLACHI: nam tibi merces  
Emisti studio, quas Themis exposuit.  
Laudo conatum; quod scandis pulpita laudo,  
Et de Contractu verba diserta facis.  
Perge frequens cœptam laudis pertexere telam  
Et Patrium studiis amplificare decus.

Johann Bartholomaeus Reußner  
Witteb.

---

**I**ngenii jam pensa tui producis in aurum  
Et cœpta in Studiis que Tibi tela, probas.  
Sume animum atque aciem. Sic sic configere pulchrum est.  
Hec nostra Themidi prælia sola placent.  
Perge modo, quæ cœptæ via est, nec desere cursum  
Id poscunt cari veta verenda Patria.

Gottfriedt Suevus.

---

**M**erx proba sponte suum Emptorem sortitur, & illam  
Ut verbis ornet Venditor, haud opus est;  
Merx Tua, GERLACHI, nobis exposita, verbis  
Non eget, aut nostra laude; probata satis.  
Sis porro talis nobis Mercator, & ipsa  
Emptores plures Merx tua repperiet.


Johannes Schreiterus Wurzena Misn.

---


**H**actenus in Themidis casulis vigil omnia lustrans,  
Julius miles gnarus & esse velis.  
Jam specimen præbes nobis illustre peritus  
Juris, dum ex Cathedra jura tuenda tibi.  
Perge ita; sic olim tribuentur nomina clara  
Quod ueroe: voto huic annuat ipse Deus.

Julius Zaschlerus Misnâ  
Misnicus.














U.S.A.

00 A 64621


ULB Halle  
002 937 379




3

W.R.

Retro ✓



**Farbkarte #13**



38  
700

*cum DEO!*  
**COLLEGII INSTITUT.**  
**PUBLICI**  
**DISPUTATIO DECIMASEXTA**  
Ethico-Politico-Juridica,  
*De*  
**CONTRACTIBUS**  
**CONSENSUALIBUS: QUASI**  
CONTRACTIBUS, ET MODIS TOL-  
LENDARUM OBLIGATIONUM,  
*Ad Tit. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. & 30. Lib. III.*  
EXHIBENS TEXTUS  
Continuationem, Quæstiones,  
Antinomias & Axiomata,  
*Quam*  
*sub PRÆSIDIO*  
**CHRISTIANI TAUBMANNI J. U. D.**  
Prof. Publ. Curiæ Elect. & Facult. Jurid. Adsefforis,  
*Discutiendam proponit*  
**DAVID GERLACH** Wickerstadensis Thuringus,  
*Ad diem 14. Maii in Auditorio J. Ctorum*  
*boris antemerid.*  

---

*WITTEBERGÆ*  
Ex Officinâ Typograph. MICHAELIS Wendt.  
ANNO M DC XLII.

